

1776,9.

Q V A E S T I O
IVRIS CONTROVERSI
A N

TRANSACTIO MAGISTRATVS
CVM CVRATORE MENTE CAPTI
DE HEREDITATE ILLIUS VALEAT
IN DETRIMENTVM COGNATORVM
NON CONSENTIENTIVM

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBURGENS.

S O C I O

I N A V D I T O R I O I V R I D I C O

DIE XIII. IAN. ANNO C I C I C C L X X V I

D E F E N D E T

IOANNES DAVIDES BRAEVNLICH

VYDA - VARISC.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .



A N
TRANSACTIO MAGISTRATVS
CVM CURATORE MENTE CAPTI
DE HEREDITATE ILLIVS VALEAT
IN DETRIMENTVM
COGNATORVM NON CONSENTIENTIVM.

§. I.

Orta est lis de successorio pacto, in quod non consenserunt, quorum intererat. Ipsam speciem facti notabimus: Titius quidam mente captus habet curatorem. Habet praeterea fratrem bilateralem et ex unilaterialibus fratribus liberos et nepotes. Magistratus vice supremi tutoris cum mente capiti curatore transigit, ut alimenta mente capto praestet ciuilia, in quorum compensationem succederet non tantum in hereditatem Sororis tunc demortuae in dementem devolutae, sed etiam in omnem hereditatem ipsius dementis futuram. Expressum erat verbis: *sach wohl*

* 2

4

■ ■ ■

wohl der Erbe von gedachter Jungfer N. Vermægen, als dem, was gedachter N. haben und verlassen möchte.. Et cum tunc temporis frater in viuis esset bilateralis, hicce coram notario renunciavit hereditati defunctæ sororis. Verba instrumenti hoc pertinentia haec erant: *Dass er seinem Erbschaftsrecht an seiner obgedachten verstorbenen Jungfer Vermægens Anteil, sondern auch seines wahnwitzigen Bruders Verlängenschaft renunciret, dagegen alles seiner Geschwister hinterlassenes Vermägen, es bestehet, worinne es wollte, an obgedachten L. (qui est curator dementis) und seine Erben, mit der Bedingniß cediret, dass sie obgedachten seinen wahnwitzigen Bruder zu sich nehmen, auch ihn in gesunden und kranken Tagen bis an seinen Todt mit Essen und Trinken, Wäsche, Kleidung und andern Bedürfnissen versehen solle. &c.* Post ipse bilateralis frater moritur, relicto hoc fratre demente proximo herede. Quapropter curator huius dementis ex hoc, quod allegauimus, pacto successorio putat etiam se fore idoneum, qui nomine dementis sibi hanc in dementem delatam hereditatem vindicare possit, quamvis alii iam ad sint heredes intestati dementis, qui neque in curators constitutionem consensere, neque suo succedendi iuri renunciarunt.

§. II.

Quaesitum itaque est, in quantum hocce pactum successoriorum autore magistratu initium valeat cum curatore dementis, et an fratris bilateralis renunciatio valeat in detrimentum heredum ab intestato extitorum eo tempore, quo mente captus defensus sit. Videamus, quid iuri conueniat, et an hereditas iacentis, de qua quaeritur, ad curatorem ex illo pacto successorio, seu contractu vitalitio pertineat.

§. III.

Non est dubium, quin magistratus recte dementi curatorem det, quod iam Romano Iure Lex Laetoria iussicerat. At non videtur ea Lex indistincte hoc ius Praetori dedisse, sed ut Lex Attilia

lia de tutoribus in subsidium prospexerat pupillis tutorem alium vel testamentarium vel intestatum non habentibus, ita Lex Laetoria pariter in subsidium prodigiis et dementibus prospexit, ut si curatorem, legibus decemviralibus constitutum non haberent proximos agnatos, tunc a magistratu curator detur. Nusquam enim ex legibus patet, decemuirale ius intuitu curatorum dementiū et lasciuorum esse abrogatum. Accedit ex iuribus nostrorum popularium germanorum: ut praeterea eo respiciat magistratus, quo curator idoneus quoque sit cauendo, quamuis sit proximus agnatus. Quare si cauere rem dementis vel prodigiī saluam fore nequeat agnatus, tuto magistratus alium constituet, qui cauendo idoneus est. Nihil ergo est, quod de curatore dementi a magistratu dato moneamus, quippe suo officio satisficerat magistratus. Et praeterea sicut officium curatoris in bonis administrandis praecipue positum, ita nec peccare potuit magistratus, qui in constituendo curatore sollicitus fuit, ut alimenta curando recte praestentur, pro sua conditione et bonorum quantitate.

§. IV.

Sed an recte etiam confirmatum sit pactum successorium a magistratu, alia videtur esse quaestio. Si de iure Romano quaestio decidenda, nullum esset dubium, quin plane pro illico in iustoque illud successorium pactum esset pronunciandum, in quam causam allegant L. 38. π. de pačt. et L. vlt. ff. de suis et leg. hered. Sed largior, ex hoc iure hanc quaestioni partem haud decidendam esse. Maioribus enim nostris Germaniae incolis pacta in omni causa tam sancta fuere, ut et successoris pačtis vim haud negauerint. Factum inde est, vt et hodie, recepto quamvis romano iure, imo quod saepius factum, remissis patriis probata sint iura peregrina, tamen in pačtis antiquum nostrum ius patrium nunquam in vſu esse desit. Hinc et hodie obligant civiliter nuda pacta, quae improbat obligatio civilis romano iure. Quare et hodie pacta successoria moribus et iuribus nostris haud improban-



tur, ut est apud BOEHMERVM diff. de Success. heredit. coniug. ex
paet. dotal. Cap. I. Neque nostra iura, ut quondam delirauit
GAILIVS Lib. II. Obseru. CXXVII. differentiam ordinis ciuium
ponunt. Putabat enim illa pacta successoria illustribus licita tantum,
non reliquis ignobilioribus Germaniae ciuibus. Sed quis non vi-
det ex barbara romanarum Legum applicatione GAILIVM dece-
ptum haec paradoxa defendisse, quare rectius a KRESSIO Spe-
cim. Iurisprud. priuatae II. 24. contrarium affirmatur. Poteſt ita-
que et de vteina ſucceſſione pacisci. Potuit itaque curator mente
capti inire paetum de ſucceſſione in hereditate mente capti. Sed
an ſic recte paetus fit, et an conſirmari ſic ad omnem ſucceſſionis
eſſectum potuerit a magiſtratu, ut §. I. ſpecies data eſt, alia eſt
quaefatio, et iam vidēamus.

§. V.

Facile patet, curatorem cum ſuo curando demente nunquam
de ſua hereditate futura paetum inire poiuifſe. Cum enim paci-
ſentes conſentientes feire debent, quid inter eos agatur, demens
vero haud ſciat et intelligat, quae gerantur; cum eo omne iniuti-
le foret paetum, hinc et ſucceſſorium. Supplet ergo mente ca-
pti conſenſus deſectum magiſtratus iure ſupremae tutelae. Sed
id principale ſemper viſum eſt maioriſbus noſtriſ, ut nunquam va-
leat paetum, niſi conſentiant omnes, quorum intereſt, quorum ius
interuertitur, ut recte monuit ENGAVIVS in Element. Iur. Ger-
man. Lib. II. Tit. XXVI. §. 442. Conſentiebat quidem frater
proximus heres, qui ſuo ſuccedendi iuri renunciabat, ut ita, ſi
ante hunc demortuus fuiffet mente captus, abſque dubio demen-
tis hereditas ad renunciante haud veniſſet: at aderant adhuc alii,
ad quos deuolutebatur tunc hereditas eorumque conſenſus in pa-
etum et renunciatio neceſſaria fuiffet, ſi ad curatorem venire de-
buiffet mente capti hereditas. Neque enim frater renuncians ſuo
iuri eo facto reliquorum ſuccedendi iuri vim inſerre, hereditarium
que ius adimere poiuifſe: neque magiſtratus conſirmatio quicquam
operari



operari poterit. Magistratus enim officium in eo querendum est, ut secundum leges agat et iudicet: at iniuriam inferre cuidam sua-que ipsi competentia eripere iura nulli competere potest magistra-tui. Quapropter concludo: Licit magistratus pactus sit cum cu-ratore mente capti de eius hereditate habenda in locum impensa-rum in alimenta factarum: semper tamen hoc pactum intelligen-dum esse *salvo iure tertii*. Hinc reliqui agnati, ad quos venit men-te capti hereditas, hoc plane non tenentur pacto, licet magistra-tus autoritas confirmauerat pactum. Et tunc quidem curatori ius, ut mortno dein mente capto rationibus bonorum redditis et ex-hibitis agnatis iure successoris tantum, quantum impensum sit in alimenta ex redditibus et fructibus patrimonii defuncti mente capti deducat, et si non sufficient, ex ipsis bonis, reliqua vero non ob-stante pacto successorio, agnatis restituenda: neque enim magistra-tus autoritas plus iuris curatori dare potest, quam quantum illae-sa iustitia licitum erat.

§. VI.

Patet ergo, huic pacto successorio, cum reliquorum agnato-rum consensu in curatoris constitutione superhabitus, quod fieri non debuisset, cum datius curator in subsidium sit receptus, neque ex ipso curatorio requisiti, praeter fratris, reliquorum consensu mentio deprehendatur, plane nullam vim inesse posse. Neque re-nunciationis a fratre factae vis aliqua esse potest, qua reliquis agnatis iura adimere potuit. Cum vero iam contigit, ut ipse frater, qui renunciauerat et consenserat in pactum successorium mente capti cum curatore, iam mortuus sit, et mente captus eidem proximus heres succedat; plane pater, hoc pactum, quod in genere non obesse potest agnatis, nunc hereditibus dementis extitiris, quique omni tempore hoc successorium pactum ob eorum consensum neglectum ex nullitate impugnare possunt, multo mi-nus valitum respectu hereditatis ad dementem venturae demor-tui fratris. Neque hereditas defuncti fratris deferenda erit cura-toriis



tori, quamvis frater demortuus consenserat. Renunciando enim suo iuri in bonis dementis succedendi, non pactus est cum curatore, ut hereditas sua ad curatorem veniat. Pacta enim strictissimae sunt interpretationis, neque subintelligenda, quae in pacto acta gestaque non sunt. Quare arbitror, si proximi agnati ipsius dementis contradicant pacto successorio, non tantum eos esse audiendos, verum nec curatori ius in administracionem hereditatis dementi delatae, quippe non consentientibus agnatis curator datus erat, concedi poterit, nisi cautione praefixa de restituenda hereditate hac et reddendis rationibus consentiant ii, ad quos iure dementis aliquando mortui ventura est hereditas.




Leipzig, Diss., 1776 A-G



TA-706

aus 34 Stck. bisher verkauft

V
D
18



1776,9.

Q V A E S T I O
IVRIS CONTROVERSI
A N
**TRANSACTIO MAGISTRATVS
CVM CVRATORE MENTE CAPTI
DE HEREDITATE ILLIVS VALEAT
IN DETRIMENTVM COGNATORVM
NON CONSENTIENTIVM**
Q V A M
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.
S O C I O
I N A V D I T O R I O I V R I D I C O
DIE XIII. IAN. ANNO C I C I C C C L X X V I .
D E F E N D E T
IOANNES DAVIDES BRAEVNLICH
VYDA - VARISC.
L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.